

## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

De SS. martyribus, Carpo, Papylo, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

responses: Explicationes sive responses ad Christianos de quibusdam necessariis questionibus (quoniam hic liber alterius videtur esse, quoniam Irenae & Origene mentionem facit) & refutationes quorundam Aristotelis decretorum. Alios eius libros Eusebius, & post eum Hieronymus, Photius atq; Suidas enumerant, qui ad nos not venerunt: veluti Elenchum, quem librum Eusebius & Photius quartum eorum, quos in Gentes scripsit, nominant: tertium vero eum, qui non extat, in quo de dæmonum natura disputat: alium etiam de Monarchia Dei, qui non videretur is esse, qui extat, quemadmodum alio loco docui: Alium quoque, quem Psalmen inscripsit: Alium præterea, quem scripsit de Animo, ut illi dicunt. Ipse autem in secunda Apologia pro Christianis librum in omnes hæreses se scripsisse dicit, qui eriam ad nos non venit. Vetus est vehementi genere dicendi, quod ad Philosophorum, quam oratorum, stylum proprius accedit: sed interdum obscura est illius oratio. Nunc de eius morte aliquid dicendum est.

Cum in omne genus hominum, qui à nostra & vita & disciplina abhorret, acerbum se præstet, tum in philosophos maximè, quod, ut mihi videtur, non solùm ipsi religionis nostræ hostes & vita & professione essent: sed etiam quod & alias exemplo suo ac doctrina in contraria confirmarent, & ad eam nostros, quantum in ipsis esset, deducunt. In ijs Crescentem quendam, & vita & disciplina Cynicum, qui in nostros falsum pro testimonio diceret, delegisse videtur, in quæ acerbitatis sua aculeos maximè emitteret. Nam & sapè cum eo de rebus decretisque religionis nostræ disputauit, & cum imperitum eum in rebus, quæ philosophorum sunt propriæ, in disputationibus comparsisset, nec tamen desinceret, eius vitam atque mores apud Antoninum Pium publicè culpauit, eumque imperitum se disputando ostendisse dixit. quod verum esse ex eo credere debemus, quia se paratum esse tum confirmauit de ijsdem rebus in conspectu ilorum disputare, nisi & ipsius interrogations, & Crescentis responses ad eos perlatæ essent. Auxit hoc veterem Crescentis inuidiam, qua Iustini amulus flagrabat. Itaque ex eo die nunquam eius animus antè conquiescere potuit, quam eius sanguine & morte ira satiaretur: quemadmodum Tatianus Iustini discipulus in libro, quem in S. Iustini, Gentes scripsit, testatur. Is quidem liber extat, nondum editus. Eum enim habet amicus quidam, à quo vtendum, sicuti pollicitus erat, accepisse, nisi tum, cum hæc scriberem, ab vrbe absuisset. nec vero mors Iustinum fecellit. In ea enim Apologia, quam dixi, quasi eam diuinaret, se expectare professus est, dum ab aliquo eorum, qui erant in nomine ac gloria, aut etiam à Crescente, ipse dedita opera in crucem ageatur.

## MARTYRIVM SANCTORVM ET GLORIOSO-

RVM CHRISTI MARTYRVM, CARPI, PAPYLI, ET SO-

ciorum, authore Simeone Metaphraste: quicquid affirmet passos esse 13. Octo-

bris, nos tamen hoc loco eos reponere maluumus, quod per antiquum inimicu-

Romanum, itemque Bede &amp; Vuardi Martyrolo-

gia eos habeant 13. Aprilis die.



Eminisse eorum, qui pro Christo sunt passi, est plurimum vtile & conducibile. Sufficit enim vel sola memoria, ut ad Dei amorem exciter animum, & sit veluti quedam ala ad virtutem, & efficiat, ut cadé certamina, quæ corpore martyres, mente ille sustineat pro fruendis ijs, quæ sunt illic, remunerationibus. Ex ijs ergo, qui hæc martyrij peregrere certamina, validæ quoquæ ecclesia columnæ & fundamenta, Carpus & Papylus noscuntur: quorū vterque in clara qui- Patria Car- dem patria, nempe ciuitate Pergamena, ex valde autem pi & Papyl. pijs natus parentibus, eis quoquæ cōuenientem vita ostenditrationem, veluti generose cuiusdam radicis generosum germe: adeò ut ex fructu arbor euaderet manifesta, & ex fluento censeretur fons beatus. Nam ambo quidem corpus faciebant esse solis contentum necessarijs, repellentes quicquid erat varium & curiosum: necessarijs autem tam modicè vtentes, ut cor-

13. Aprilis,

pore

Nota insi- pore quidem multum abessent ab angelis, insigni autem abstinentia, incorporei pro-  
gnem absti- pemo dūm viderentur. Hinc cūm prouecti esent ad summum virtutis, iudicati sunt  
nentiā San- digni, quorum fidei committeretur populi praefectura. Et Carpus quidem, cūm per-  
ctorum. uenisset ad pontificatum, pietatis mysteria annuciabat ijs, qui erant Thyatiris: Papy-  
lus autem honoratus gradu Diaconatus, suo muneri respondens, adhibebat studium  
in paribus laboribus.

Virtutis  
natura.

Cūm ergo eorum fama peruasisset in omnes partes, vt porē quōd ea sit natura virtutis, vt non possit latere, sed seipsum semper predicit, magna multitudine idēo cōfuebat, & eorum fruens doctrina, lubenter accedebat ad pietatem. Séd fieri omnino non poterat, vt qui fuit ab initio bonorum aduersarius, cūm hæc sic fierent, quietem ageret. Non quieuit itaque, sed cūm inuenisset egregios administratos sive malitia, eis persuadet, vt Sanctos accusent apud Decium, quōd sint & in deos impij, eos abominantes, & sequantur vanam Christianorum opinionem. Ille autem hac re grauissimè affectus, Valerium quendam assessorem, cum quo res omnes suas communicabat, (Erat autem amans dæmonum, & vir agrestis) emittit in Asiam, quæ sibi de sanctis nunciata fuerant, ei significans, & ei in illos poteſtatem permittēs. Statim ergo Valerius viam conficit quamcelerrimè: & postquam fuit in loco, vbi ij degebant, ille quidem statim deis vanis confusa voluit offerre sacrificia, eiusque iussus mos peruasit omnes terminos regionis Thyatirorum, vt quicunque in ea erant, nihil cunctantes venirent in eum locum, vbi fieret sacrificium, gratiarum actiones ipso quoquè dijs illius reddituri, vt qui noller solū agrotare, sed alios quoquè vellet frui eodem morbo. Hoc autem ducebat esse sufficiens argumentum sententiae martyrum. Dicebat enim intra se, quōd ipsos quidem viderit communiter conuenientes cum multitudine ad sacrificandum, falsa apparebunt omnino, quæ dixerunt Decio. Sin minus, nō est alia maior expectanda probatio.

Martyres  
Valerius su-  
perbè com-  
pellat.

Esa. I.  
Præclarè ei  
respondent.

Terræmo-  
tus ingens.

Cūm ergo omnes quidem in locum conuenissent, vt perageret sacrificia, soli autem abessent admirabiles duo martyres, (alibì enim stabant, Deo preces, nempe verum reddentes sacrificium) ijs sisti iussis, ille superbius ac elatius eos rogauit causam, cur ipsi absuissent: deinde etiam adiecit: At saltem ante meos oculos pulchrè corrigitur de- lictum, vt accusatoribus inuidia in caput eorum conuertatur, & vobis clarior, quā prius, gloria oriatur. Ad hæc sancti, qui & metu & omni claritate humana erant superiores: Effet dedecus, ô Iudex, dixerunt, aperiū, inquam, dedecus, habere bouem & alinum, (vt cum magno dicam Esaia) qui nos arguerent magni criminis ingrati animi. Si quidem illi quidem cognouerunt possessorum, & eum, qui ipsos alebat: nos autē, quōd alamur ab ipso, ignorare videremur, si vero reliquo Domino, qui falsò vocantur, deos coleremus. Hæc dixerunt: & Deus simul ijs, quæ dicta sunt, est assensus. Nam magnus irruens terræmotus, conuertit in puluerem ea, quæ ab insipientibus colebantur, simu- laca. Et inanima quidem sic se habebant, & ita fuere dissoluta.

Nudi circū-  
aguntur san-  
cti marty-  
res.

Iudex eis  
blanditur.

Valerio autē firma erat ac stabilis malitia, & quæ non poterat amoueri. Nam cūm admirari oporteret potentiam Dei ineffabilem, & deorum suorum magnam irridere imbecillitatem, (quod quidem fecisset vir prudens & intelligens) ille euasit magister merarius, & suam planè ostendit insaniam. Sed cūm virorum nobilitate & modestiam reueritus, tunc à grauiore cruciatu abstinuisset, iubet eos, ferreis collaribus collis eorū impositis, per medium forum nudos circumagi. Nudi itaque ducebantur athletæ, colili vinculo grauati: & forum obitant cum infamia, qui verē erant honesti: irrisi & ludibrio habiti, qui innumerabilibus digni erant laudibus. Iudex ergo, qui turpem hanc & infamem traductionem putabat sanctos affeūtam dedecore, & sic eorum constantiam effe emollitaram, statuit molibus eos verbis aggredi, & sic cuniculos agere in generosum eorum propositum: & Si vos quidem, inquit, viderem non ferre aperta indicia generosi spiritus, nequaquam vobis darem consilium. Licet enim, si velim, vos per tormenta expugnare, inuitosq; & nolentes ad nostram cōuertere religionem. Sed cūm & vultus, & morum moderatio significant vestri animi libertatem, statui fungi apud vos officio boni consiliarij. Neque enim arbitror vos latere, quōd longo ab hinc tempore incepta, quæ dijs immortalibus exhibetur, gloria & honor, manet usque in hodiernum diem, non apud nos solos, qui Græcam linguam nouimus, sed etiam apud ipsos barbaros. Per hanc ergo religionem videre licet ciuitates bonis regi legibus, hostium deprimi supercilium, pacemque vigere. Vnde nā autem reges, & principes, multi quidem etiam prius, nunc autē Romanorum, ad tantam gloriam peruenire, vt gentes

gentes quidem & ciuitates euerterent, in potestatem autem omnes redigerent aduersarios? Si ergo indoctorum sermonibus industi estis ad hanc à ratione alienam, & quæ nuper apparuit, Christianorum opinionem, non valde reprehendo. Hoc tantum dico esse simplicitatis. At vos nunc tandem respicientes, & ad vos redeuntes, conuertimini ad id, quod est melius, vt & dij sint vobis propitij, & pluribus bonis, quæ sunt apud nos, fruamini, & Imperatoris in benefaciendo munificentiam sic vobis concilicetis. Sin autem in prioribus omnino perfitteritis, à tot bonis excedetis: sed & nos quoquæ asperiores (quod absit) vobis necessè erit omnino experiri.

Hæc postquam audiuerunt martyres, oculis in cælum sublati, cùm se Christi signaculo munissent: Videris, dixerunt, nos, tanquam aliquos simpliciores, non tardè, sed facile posse conuertere ad discendam impietatem. Sed scias te non incidisse in viros pusilli & abiecti animi: non per hoc, quod pro Christo suscipitur certamen, & nostram ab ineunte ætate in pietate exercitationem. Non enim propter temporis antiquitatem, honore dignam vestram religionem. Neque enim si quid est antiquum, est id etiam honore dignum: quandoquidem vetus quidem est omnino etiam vitium, sed non etiam propter tempus dignum est quod honoretur. Nō est ergo considerandum, an antiqua sit vestra religio: sed hoc ipsum, an eam oporteat admittere: quam nos quidem consoluerimus declinare, & de medio tollere pro viribus, quæ tam horribilem ignis gehennam recondit & reseruat ijs, qui ipsam diligunt. In summa autem, si velis accurate attendere, inuenies omnino tu quoquæ eos, qui apud vos coluntur, deos, nihil aliud esse, quam opera manuum hominum inanima & furda, quæ nihil in falso omnino, non modo alijs, sed ne sibi quidem ipsis, possint opis afferre. Si ergo homo quidem est Dei opus, vt qui ab eo sit effictus: quæ vos autem simulacra adoratis, sunt opera manus humanæ: quomodo quis, nisi fuerit planè nullo sensu præditus, & planè bos & asinus, ijs, quæ ipse est fabricatus, honorem tribuerit: cùm oporteret illa magis suos honorare opifices, si quis inessef eis sensus: Quoniam ergo confessus es, nos esse intelligentes, & scis, quòd homo, qui est sanæ mentis, nunquam veritati id, quod est falsum, prætulerit, aduerte animum, & de eo, qui verè est opifex vniuersorum, dice à veridicis labbris.

Deus suapte natura non potest circumscribi: est enim eiusmodi, vt in eum non cadat omnino circumscriprio, & superat omnem, quæ in tempore suscipitur, cogitationem. Nanque temporum non subiicitur tempori. Quamobrem nec cœpit quidem esse. Omnia autem, tam quæ sub adspectum cadunt, quam quæ mente percipiuntur, ad hoc, quod sint, produxit. Homo ergo cum esset à Deo effictus, & ei esset tributum, vt habaret paradisum, & ad maioris profectus exercitationē accepisset mandatum, inuidia diaboli effectus morbo inobedientiæ, non posse interire, permutauit interitu: & cùm carnis subiisset voluntatem, fuit subiectus morti. Cæterum pater inuidiæ non fuit contentus hoc solo lapsu eius, cui inuidiebat: sed etiam ad Dei proh dolor, obliuionē eos deduxit, qui postea nati sunt ex eodem genere, vt nō solū corporibus, sed etiam animis mors dominat etur. Relicto itaque vero Deo, & ad lucem veritatis sua sponte claudentes oculos, cultus simulacrorum subièrunt tenebras. Propterea ergo idem nostri generis opifex, qui benignis visceribus nos produxit ex nihilo, non ferens videre hominem. Cum ergo sua morte nostri lapsi authorem deiecisset, ipse & in celos ascendiit, è quibus descenderat: & nos illuc vocat, vt qui nobis ad se affensem ostenderit. Potésne tu quoquæ tale quid ostendere, quod à tuis dijs factum sit, an te iam eos deos vocare pœnitent? Possessionum autem, & pecuniarum, & honoris apud Imperatores, quæ sunt vestra, vt dicitis, bona, nos paruam curam gerimus, vt qui ea nō tanquam stantia indicare, sed tanquam fugientia, recetè didicerimus à Prophetâ, & maximè cùm in Deum ipsum spem collocauerimus, & ab illius gloria toti pendeamus, propter quæ etiam magno acforti animo pati statuimus.

Hec cùm audijset Valerius, & ægritudine animi fuit affectus, & igne insaniæ incensus. Et protinus exuens fictam personam mansuetudinis, internam aperuit feritatem. Et sanctorum quidè facultates dedit diripiendas ijs, qui accusauerant, rem, quæ valde quidem ab illis despiciebatur, plurimi autem fibat ab ijs, qui id magnum existimabat: ipsos vero agrestibus quibusdā equis alligatos, iussit quæ primū agi Sardas. Atq; equos Supplicium martyrum. quidè, cum incepissent currere Thyatiris, aduentante vespere, Sardis vix tandem faciunt à cursu

Muniunt se  
signo crucis,  
& egregie  
respondent.

Charitas  
Christi erga  
homines.

Supplicium  
martyrum.

à cursu desistere. Cæterum martyribus, qui in hoc acerbo cruciatu totum diem transfigerant, nec nox tamen bonis actibus vacua remansit: sed in diuinis hymnis plurima pars eius fuit consumpta. Si quādō autem parūm somni caperent, eis assistentes angelī, defessos recreabant: & ad tormenta mox futura faciebant animo alacriores. Postridē autem partim quidem inter se, partim autem ijs, qui aderant, narrabant sancti diuinam illam apparitionem, & venturum Valerium ad eorum examinationem expectabant, perinde à cōquidam strenui milites certamina cupientes, & ad mortem cum gloria suscipiendam, generosè & audacter intuentes. Ille autem cūm peruenisset Sardas, tunc existimabat, & si non prius, se obedientiores & faciliores inuenturum martyres. Solum enim sciebat cruciatus: Consolationem autem vnde sciret terrena illa anima, & aliena à diuina apparitione & bonitate? Cūm eos autem vidisset vultu, quām prius, latores, spirituque constantiores, & animo minūs deictos, desperans se posse eos tormentis expugnare, aspergitationibus rursus & maiorum donorum promissionibus aggrediebatur emollire virorum fortium constantiam. Cūm autem magis tentasset, & adhuc maiorem animaduertisset roboris firmitatem, processit rursus ad acerbitatem, continua mutatione, & varia colloquitione, moliens improbus venari eam, quām in Christo fundata erat, sanctorum similitatem.

Cūm autem sic quoquā vinceretur, & ne parūm quidem cedentes videret martyres, sed tanquam vulpes quadam visus est pugnare contra leones, animi planè dubius & perplexus, alia arte eos superare aggreditur: & Carpum quidem & Papylum viros fortis ac præclaros dimittit, iubens eos tutò seruari: admirabilem autem Agathodorum, qui ministrabat martyribus, & famulorū munere fungebatur, qui ipse quoquā iam erat perfectus martyr, & suo in eos amore erat socius eorundem suppliciorum: eum, inquit, iussit extensem, boum neruis cædi immisericorditer, simul quidem sanctos molestia afficer propter cruciatum eius, qui erat eiusdem fidei, & terrefacere volens. Vtq; ergo inter se contendebant, nempe & iudex, qui puniebat, & martyr. Iudex quidem, vnum multitudine plagarum cum expugnaret: martyr autem plagas tam lubenter accipiens, vt euidentis esset, eum hoc habere in votis, vt duraret suppliciū, & non defatigarentur tortores ferientes. Cūm ergo martyricum illud corpus iam longo tempore cæderetur flagellis, emittebantur quidem riui sanguinis, tanquam ex quodam fonte: suo autem integumento nudabantur viscera, diuellabantur musculi à compagibus, & sensus doloris re vera magnus & acer inuadebat virum fortem. Ille autē, perinde à cōsi nullam patet molestiam, in malis ita erat affectus, silentio ferens crebros iictus flagellarum, & pati propter Christum, habens sat's magnum dolorum solatium.

Cūm autem iam defessus quidem esset Valerius, defatigati autem essent lictores feriendo, eum verò tormenta magis latificarēt, Christus cum in celos accersit, athletam

reddit spidignè coronaturus. Is autem & statim spiritum in manus eius, qui vocauit, & corpus mortuum tradidit flagellantibus. Quod insepultum quidem fuit proiectum, vt deuoretur à feris & alibutis, cūm ita iussisset Valerius. Vesperè autem quidam ex ijs, quilibet propè habitabant, id abscondunt in quadam propinqua spelunca, ducētes hoc esse opus benigni & clementis animi, aut sic etiā diuina dispensante prouidentia. Quidnam

Iterum blādatur preses autem est postea consecutum? Valerius Praeses, qui erat re vera versuta & fraudulenta vulpes, lenioribus verbis sanctos aggreditur, timens forte, nē ipsos quoquā, sicut iam etiam Agathodorum, amitteret. Dicebat enim: Ille quidem inuenit mortem dignam tali arrogantia & amentia, cūm non paruisse, vt sacrificaret diis immortalibus. Vos autem cūm sitis sapientes, cur non adspicitis ad id, quod est vobis conducibile, sed vultis esse similes homini verè infelici, qui pro vita & gaudio stulte violentam mortem elegit? Et hæc quidem Valerius. Cūm autem audiuerit sanctos eum magnæ accusare stultitiae propter hoc à ratione alienum consilium, se autem tunc conspiciendos planè felices ac beatos arbitrari, quando violentam, quā apud cum videtur, Agathodori mortem imitati fuerint: relicta rursus ementita clementia, ad ei consuētam & gratam reuersus est feritatem: & ea facit, quā ipsam decent. Longè enim prefecturus, à ciuitate Sardorum Pergamum usque iubet ipsum sequi sanctos: & cogit eos pari passu pedibus currere cum equis pernicibus: vt labore cursus defatigati, quid aliud, quām inuiti mutaretur & persuaderentur adorare simulacra? Sancti autem, quōd non esset maior cursus, cam rem existimabant detrahere de voluptate. Sic quidquid propter Christum inferebatur, non molestiam, sed magnam potius afferebat latitiam, vt quod esset eis magna demonstratio sui in Christum desiderij.

Cūm

Redit ad crudelitatem. Martyrum alacritas.

Cum ergo in tanti cursu labore diem transgessent, atque ad dolorem vulnerum suo-  
rum (ut cum diuino David dicam) hoc quoque esset eis additum, simulque consecuta  
fuisse custodia, & nox iam aduentasset, angelica quedam & diuina virtus eis apparet, Pgl. 67.  
Martyres  
diuinatus  
curantur.  
curauit eorum vulnera, & ad certamina suscipienda eis maiorem indidit animi alacri-  
tatem. Cum ergo manu surrexisset Valerius, iubebat eos ingredi, ad laborum solummodo & hesterna diei adspiciens afflictionem, & existimans eos vix tandem portatos iter  
posse confidere. Cum autem vidisset illos adeo valentes & robustos, & vultus eorum non  
minus laeros & alacres, quam eorum, qui vtuntur assidue lauacris, & vitam agunt umbras-  
tilem, eam rem vocabat præstigias, qui verè erat plenus dæmonibus: & ideo ampliore  
eis adiunxit dolorem: nam eorum membris ferro omni ex parte grauatis, iussit eos rur-  
sum viam inire. Postquam autem & ipse, & illi in loco fuere præstituto, cum dæmonibus  
sacrificasset Valerius, in tribunali præsidet judiciali. Et cum beatum Carpum sibi curâ-  
set, & fidelis alicuius amici personam induisset, & qui de ipso erat admodum solicitus: Rursus bla-  
Opörtebat quidem, dixit, te nostrâ reuerentem lenitatem, tua sponte venire ad id, quod ditus iudex.  
est bonum & honestum, & dijus sacrificare maximis. Nunc autem, cum & ad id suasioni-  
bus inciteris, & beneficio afficiaris, vt video, ne minimas quidem eis agis gratias: sed  
negligis id, quod est tibi conducibile. Ecce enim hi tuę miserentes senectutis, effecerunt,  
vt iter perageres absque afflictione. Ipse autem, nescio quomodo, & ingratus esse con-  
uincitur in tuos benefactores, & nos nihil faciens, illorum cultum despicias. Velis ergo  
nunc saltem annuere, & mihi credere consilient ea, quae sunt vtilia. Tuam enim reue-  
reor canitiem, & magno dolore afficiar, & tanquam non alienam, sed meam, tuam de-  
fleo calamitatem. Sed quid agam? Scis enim, quid cum adeo despiciar, non feram, si  
non propter meipsum, at propter deorum contumeliam.

Ad hæc diuinus Carpus: Consilium, inquit, quod à luce ad tenebras, & à vita ducit Carpicon-  
ad mortem, nemo, qui fuerit compos mentis, consilium, sed id ipsum, quod est, nominâ-  
rit insidias. Quod si meam reuereris canitiem, quid impedit, quod minus tu mihi magis  
credas paternè consilient? Quod autem tu ex me dolorem accipis, ego magis tui mi-  
serior interitus, & aperte tuam (hoc sciat amica veritas) agrè fero calamitatem, qui ta-  
les deos colas, & spem posueris miendacium: vt dicam cum diuina scriptura. Qui quidē Esa. 28.  
quemadmodum possunt dij iure reputari, cum sint ex inanima materia, & ad hoc, quod  
sunt, productionem habent ex manu humana? Valerius ergo non ferens deos suos à  
Carpo, & si verum diceret, ea affectos contumelia, bona verba malè est remuneratus.  
Odio enim habuit in portis reprehendentem, (vt diuinus dicit Amos) & sanctū sermo- Amos 5.  
nem est abominatus. Statimq; ex iussu eius lictorum manus tenebant sanctum: & vir-  
gines spinae cum cædebat immaniter: carnesque assidue lacerat ac disceptra, disperge-  
bantur in ærem. Nec his satiabatur ira: sed alij rursus lictores, partim quidem admo-  
uebant lampades eius lateribus, partim autem inhumane adspargebant sale eius vib-  
ices. Hinc riui quidem sanguinis per solum ferebantur. Fibra autem, que diuellebantur,  
martyri grauem dolorem afferebant. His defessum fuisse, etiam si quid inanimum ita  
fuisse cæsum: doluitis autem vos quoque omnino vel solum audientes. Sed martyr, Stupenda  
quo magis augebatur multitudo suppliciorum, eo magis erat ipse captus Dei amore, & eius patien-  
tia. tanquam ex re aliqua suauissima se voluptate explebat ex doloribus: donèc eius virtu-  
te defessus Valerius, eum transmisit in carcerem.

Cum autem diuinum sibi curâset Papylum, perinde acsi nunc eum primum adspete- Papylus 6.  
xisset, rogauit, quinam essent parentes, quenam patria, & quenam esset martyri scientia. Stitur.  
Sanctus autem: Iam, inquit, discere potuisti, me esse natum ex ingenuis parentibus.  
Sum enim natus Thyatiris: Exerceo autem medicinam, non que fuerit ex herbis è ter-  
ra nascentibus, sed qua alicui à Deo data fuerit. Non enim usque ad corpora circum-  
scribimus eius utilitatem: sed etiam morbos anima corrigimus. Tunc iudex: Non hæc,  
inquit, fieri potuerint sine exercitatione eorum, que scripta sunt à Galeno & Hippocra-  
te, qui acceperunt à dijs summam illius scientię. Papylus autem: Galenus quidē, inquit,  
& Hippocrates, & qui illorum artem exercent, tunc aliquem curauerint, quando gratia  
sue benignitatis meus quoque Christus præbuerit. Sin minus, perit eis studium, nihil  
commodi consequens ex sua in arte exercitatione. Quos autē deos nominas, cùm nec  
sibi quidem possint aliquid prodesse, quomodo ij curam gesserint aliorum sanitatis?  
Quod si etiā velis rem ipsam verè intelligere, eum, qui propter te sedet, altero, vt vides,  
oculo orbum, faciant visum recuperare: & postea nihil dicam. Fuerit autem quispiam,  
ait Valerius, qui eum possit sanare? Non hoc solum, inquit sanctus, sed omnes etiā alios  
Ooo morbos

morbos & affectiones insanabiles facilè curauerit, qui Christum omni morbo medentem inuocauerit. Dixit autem Valerius: Videamus in præsentia id, quod dicas. Non ego, inquit Papyrus, aggrediar primus. Vercor enim, nè cùm ipse omnia adulteres, miraculum adscribas dæmonibus. Sed tui primum innocentem quem velint tuorum deorum, & tunc ego quoquè ostendam Christi mei virtutem,

Frustrà in-  
uocantur  
falsi dij.

Et Sap. 13.

Crucis fi-  
gno cæcum  
illuminat.

Multi cre-  
dūc in Chri-  
stum.

Papyrus  
acerbisimè  
flagellatur.

Iterum di-  
uinitus fa-  
natur mar-  
tyres.

Mira corū  
alacritas.

Immaniter  
crucianarū.

Tunc cùm quosdam deorum cultores & sacrificios adduxisset Valerius, iussit suos inuocare deos, nullam, quæ ad hoc faciat, omittentes artem, nec industriam, nec rationem. Illi autem, aliò accedentes, hic quidem Apollinem, ille autē Aesculapium, aliò deinde alium inuocabat ex dijs adulterinis, impotentes in re, qua fieri non poterat, quòd ad homines attinet, inuocantes. Eratque res valde ridicula, & plena dedecore. Quid enim de viuentibus, magnus inquit Esaias, sacrificabuntur mortuos? Totus ergo dies præterijt, & illi quidem rogabant, supplicabant, sacrificabant, rebus illis vanis perpetuò assidebant. Surda autem, surda erant: & ei, qui ex parte cæcūtibet, nullum erat auxilium ab ijs, qui erant cæci penitus. Quid ergo Christi seruus? Simul cum carnis oculis animæ quoquè oculos ad cælum tollens, ad misericordiam suum inuocabat Dominum. Deinde quid? Crucis signum immittit oculis, manu tangit, & taetum lux est consecuta, & extinctus oculus facilis est apertus, quam si somno fuisse opertus: & quod maius est, eius, qui beneficio affectus fuerat, animæ quoquè ablata est cæcitas, eratque credens, & veram lucem intuebatur, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & simul etiam magna hominū multitudine deducta est miraculo ad agnitionem veritatis. Quem non hæc mutâscent, & effecissent querere & dicere, quicnam is sit, qui tanta est virtute prædictus? Sed & si omnes, nequaquam quidē certè Valerium, immò eum etiam seipso fecerunt longè leuiorem, perinde acsi delectaret errore, & nequaquam sustineret aperiri veritatem. Vnde etiam cùm eius martyrem sublimem supra lignum sustulisset, verberat acerbissimè, tales ei reddens remunerations pro beneficio, quo cius affecerat assefforem.

Et flagellis quidem cædebatur pulchrū illud corpus: Papyrus autem non hoc male habebat, sed quòd non grauiorā inflingerentur tormenta, egrè ferebat: quomodo contrà Valerius, vita videns sua tormenta à martyris animi magnitudine, dolebat & acerbè tolerabat. Adiecit itaque etiam alia: & ignem accendit eius lateribus: & iubet eum appeti lapidibus. Sed nec aduersus ignem se gesxit martyr ignauè: & lapides veluti reueriti corpus, quod sic pro Christo torquebatur, aliò quidem iaciebantur, nequaquam autē in ipsum ferebantur. Cùm ergo iam defessus esset Valerius, nec iam haberet, quod sanctis inferret ad suppliciū, dabat tempus vibicibus, reputans fortasè, quòd si parum dimissi sic fuerint martyres, inflammati iam vibicis eos grauioribus afficerent doloribus, & sic redderent moliores ad futurā quæstionem. Sed ij cùm propè haberent medicum, propter quem plagas lubenter accipiebant, non solum à doloribus, sed etiam à vulneribus liberati sunt simul cum cicatricibus, ne vllum quidem in se eorum ferentes vestigium. Quarè seipsum imprudens seriebat Valerius, non martyres. Quo enim illi magis leuabantur laboribus, eo magis cor eius cædebatur: iraque, perinde ac ignis, eum accendebat.

Breue tempus intercessit, & rursus ille quidem præsideret in excuso tribunali, toro & cædem spirante adspœctu intuens, & per animæ speculum, oculos, internā ostendens acerbitatem, & nec pluribus quidem sui præbens adeundi copiam: illum autē tantum circunstunt, quicunque erant ministri eius arrogantiae. Introducuntur autem viri preclarí, vel potius ingrediuntur prompto & alaci animo. Diceres eos vocari ad conuicium, non autem ad certamen. Et ille quidem videbatur, vel ante minas, eos esse territurus ipso solo adspœctu: & interrogabat, sententia martyrum faciens periculum: & visione apprehendebat eorum mutationem. Tantum vero aberat, vt illi ita essent affecti, vt etiam ei exprobrarent tarditatem in ferenda sententia, & quòd non citò morentur, valde ægrè ferrent: Cur, dicentes, & tibi, & famulis exhibes molestiam, nos quidem sœpè adducens, postrema autem semper parcens sententia, sperans fortasè fore, vt nos pœnitentia, & persuades, vt à Christo deficitamus & veritate: Quod quidem tunc adspexeris, cùm videris nos equè ac deos tuos, nullo sensu præditos & surdos. Hęc cùm primum dixissent, murices quidem ferrei dispergebantur in terra: præclarí autem viri in eos nudi iaciebantur, & supini super eos trahebantur crudeliter: res ad cruciatum acerbissima, cùm vel solum subiicitur oculis. Sed nec in hoc quidem Deus suos neglexit famulos: sed statim (oportet enim rursus aliquid dicere ex diuina scriptura) ascen-

dit

dit inspirans in faciem eorum, & eos liberans ex afflictione. Et protinus enauerunt Diuinatus murices: & conseruatis sunt ipsi illæsi à malis. Hoc planè iudicem accendit ad furorem: liberantur. & nouaculae adeo crudeliter martyrum latera laniabant, vt vtraque pars rursus egredieretur naturales limites, nempe & lectores in puniendo immisericorditer, & sancti in fortis animo tolerandis molestijs.

Post hæc rursus congregat bestias crudelissimas, & sanctis theatrum constituit, & ipse sedet spectator. Et cùm in medium adduxisset martyres, in eos immitit vrsam: & cùm putasset, simul atquè fuissent immisli, fore, vt virorū præclarorum corpora discerperet, vidit potius naturam animalium ratione carentium, admirabiliter docentem intelligentiam eos, qui sunt participes rationis. Vrsa enim, velut reverita speciosos eorū *Vrsaman-* pedes, & pacem verè annunciantes, non solum nihil noxiū, nec agrestē fecit, nec, vt fe*lueſcit.* mel dicam, bellunum: sed ad eorum pedes procedit, & amicè est amplexa. Nec hoc quidem sufficit insipienti ad dandam ei intelligentiam. Sed leo quoquè protinus im*Item leo.* mittitur: qui ipse similiter, atquè vrsa, diuinis obediebat nutibus, ijs, qui pro communi Domino graui patiebantur, nihil omnino volens mali facere. Valerius autem, tanquam ipse seipsum conans superare in scelere, in lacum quendam nota calce & recens extin*Mittuntur* cta, vel, vt melius dicam, accensa refertur, jubet sanctos immitti, & in eo degere tres to*in calcem* martyres, totus dies, tali modo intuetos moliens vincere impius. Sed frustra laborabat, aduersus verum Deum depugnans. Nam diuina quedam gratia, & virtus Christi aderat martyribus, qui propter ipsum erant in lacu, hebetans quidem calcis operationem, à malo autem illæsos scravans athletas.

Valerius autem quò maiorem gratiam videbat apparere in sanctis, eò magis iracundia feruebat ipse itueniliter, contendens stultus vel Deo esse fortior. Crepidis itaque ferreis, longis fibulis confixis, iubet calceari pedes martyrū, & calceatos illos sic curre*Allud genas* cruciatūs. re, vt saltem viderentur vieti in hoc certamine. Sed rursus quoquè laborauit temerè. Quò enim magis noua excogitabat, eò magis diuina virtus adumbrabat sanctos, & ijs, quæ inferebantur, reddebat superiores, & aduersus aspera & graui efficiebat robustiores. Ille autem adhuc eos tentabat à sua traducere sententia, quibus sic apertè diuina opem ferebat gratia: & volebat eos sacrificare rebus abominandis: adeo emotæ mentis erat impius. Cùm ergo nesciret quid ageret, pudore iam affectus, & apertè superatus, accedit fornacem, quæ multa alebatur materia: & in medium eius injicit martyres. Illa autem protinus fuit extincta, & refrigerabat sanctos. Quo quidem tempore honestissima quoquè Agathonica, quæ erat verè soror martyris, dituini, inquam, *Agathonica* foror Papylī, & flaminam cum eis intravit, & certaminum, sicut etiam coronarum, fuit par-pyli. ticeps. Rursus ergo redierunt in custodiā: & rursus vacabant hymnis ad Deum & precibus.

Cùm autem dubius esset animi iudex, nec ullum inueniret exitum, vix tandem eos condemnat, vt vitam finirent gladio. Ducebantur ergo martyres gaudio pleni ad locum consummationis, cùm nec præclara quidem Agathonica ab eis abscedere sustinuerit. Deinde cùm sanctas manus ad Deum sustulissent, non pro se solum preces fundebant, sed etiam orabant, vt sui occisores ab errore liberarentur, & conuerterentur ad pietatem. Sic gratiam suis referebant inimicis, eius, qui bonus est, discipuli, occisoribus suis precantes veniam eius, quod erant admissuri, facinoris: quibus alioquì ipsi magnam habebant gratiam, quod per eos migrarent ad eum, quem desiderabant. Cum precati *Plectuntur* capite. quoquè essent ea, quæ erant omnibus utilia, eis capita fuerunt amputata tertio decimo mensis Octobris. Preciosas autem eorū reliquias, quæ abiecte & contemptim iacebant,

Christianorum manus cùm sustulissent, cum lampadibus simul & hymnis in loco insigni præclarè depositerunt, opes Christianis inuiolabiles, malignis sp

*Nota de re-  
liquijs.*

ritibus flagellum terribile, & rorem omnibus ægrotantibus & cer-

tam medelam: ad gloriam Dei patris & Domini nostri Iesu

Christi: quem decet honor & potentia, cum sanctissi-

mo & viuifico spiritu, nunc & semper &

in secula seculorum,

Amen.